



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XXX. Quibus objectionibus iuramenta soleant excusari & quibus
modis ea extirpari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

CAPVT XXX.

versus consuetudinem vestram malam, malam, malam, & valde malam: & tollere iuramentum de oribus vestris. Cavete à falsà iuratione, cavete à temerariâ iuratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem iurandi à vobis abstuleritis.

Atque ut vim verbis adderet, suo eos exemplo hortatus: Scio, inquit, grave esse consuetudini vestra, sed & grave fuit consuetudini nostra. Timendo Deum, abstulimus iuramentum de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audit aliquando iurantes? Nunquid non consueveram quotidie iurare? At ubi legi, & rimari, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsâ luctatione invocavi Dominum adiutorem. Prestitit mihi Dominus adiutorium non iurandi. Nihil mihi facilius est, quam non iurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis: Quis potest?

Bernardus iuramenta vinci non appetendo, docens; Sic ut ait, mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejorare non poterit, qui iurare non appetit. Quacuq; arte verborum quique iuraret, Deus tamē qui est reus conscientie, hoc ita accipit sicut ille, cui iuratur, intelligit. Chrysostomus quo magis suos animaret ad victoriam vitii tam infestis: Quid horum, inquit, in iuramentis quas praetendere possumus? quam difficultatem? quem sudorem? quam artem? quod periculum? exiguu tantum studio nobis est opus, & brevi nobis totum expeditum fuerit. Nec mihi dicas, maiorem expediti; sed nisi totum emendasti, nondum te quidquam fecisse puta. Hoc enim exiguum neglectum, & omne reliquum destruit. Sapius namque domos adificantes homines, & rectum imponentes, unus regula excusse curam non gerentes, totam domum perdidit. Nobis itaque quotidianas ponamus leges. Interim à facilioribus exordiamur, ab ore nostro iurandi frequentiam amputemus, lingue frenum ponamus. Deum iuret nemo. Non est hic impendium, non est hic labor, non est hic temporis exercitatio: sufficit velle, & totum factum est; consuetudinis enim opus est. Precor & supplico, studium hoc impendamus. Ergo Satânica hæc iurandi consuetudo, uti aureus orator loquitur, superari non difficulter potest, modò eam velimus superare. Ea de causâ hoc ipsum diversis concionibus retractans: Qui tandem, inquit, queso te, labor est fugere iuramentum? nunquid pecuniarum opus est impensâ, nunquid erumini ac sudore perficitur? tantummodo velle sufficit, & totum quod iubetur impletum est &c. Cum igitur istud corrigere tentaveris, etsi semel, etsi iterum legem consuetudine fallente fueris transgressus, ne tunc quidem animo desperes, sed rursus resurge, atque id ipsum studium sollicitus apprehende, & absque ulla prorsus ambiguitate superabis.

Ut autem Chrysostomus pectori altè insingeret impar hominum & Angelorum studium in divini nominis cultu, quamque facile sit curâ & studio hoc vitium debellare: Seraphim, inquit, stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena omnis terra gloria eius. Vidisti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum glorificantes & laudantes? Tu verò in precibus quidem & supplicationibus, cum multo ipsum invocas torpore, quando horrescere oportebat, varia quadam, & alia super alia connectis iuramenta: & qualis venia, que verò nobis erit excusatio, etsi milles consuetudinem obijciamus? Dicitur quod quadam exteriorum oratorum præ quadam stultâ consuetudine, dexterum cundo humerum continue movebat, sed tamen consuetudinem vici, & gladios acutos utrinque humeris imposuit, ut vulneris timore, membrum ineptè se movens corrigeret. Hoc & tu lingua facias, & ipsi pro gladio divina pena timorem impone, & omnino superabis. Impossibile enim, impossibile inquam, est, meditantes & studentes, & opus hoc facientes, unquam superari. Ergo abunde satis demonstratum est, iurandi pessimam consuetudinem à nemine non superari posse. Sequitur, quibus ea modis superari possit. De quo capite proximo agemus, unâ etiam diversis objectionibus responsuri.

Quibus objectionibus IURAMENTA soleant excusari, & quibus modis ea extirpari possint.

VTi lingue sunt quæ cano mersæ, sordibus unice gaudent, ita sunt lingue, quas diabolus nunquam non perfultat. Hæ non decimam tantum, sed vel tertiam sermonum partem consecrant cacodemoni, idololatriis pejores. Basilus Magnus: Illud Clinia, inquit, unus è sectâ Pythagoræ philosophi difficile est credere, quod casu non de industria nostros imitatur. Nam ille, cum per iuramentum mutam trium talentorum liceret vitare, injuriam pati maluit quam iurare. Priscus Romanis lex erat, ut qui per Janum iurasset, morte plecteretur, nisi id fecisset senatu permitte. Pudeat Christiani sanguinis homines in naturæ legem tam turpiter delinquere, & vitæ auctorem toties ore temerario incescere.

Suidâ teste adeo parcebant prisci Diis suis, ut, ne per eos temere iurarent, sæpe dicerent: Per hanc rugolam pellem meam, Per aridam hanc arborem: Has fores restor, Per hunc gladium, Per hoc sceptrum, Per relum hoc meum iuro.

Japones, quod multâ ratione faciant, iuramenta plurimum averantur. Plato, è rationis iridem dictamine, graviter reprehendit iurantes. Non enim tantum pejorandi periculo proximi sunt, qui crebrò iurant, sed insuper tam sibi quam aliis incommodant: sibi quidem, quos mendaces, & indignos quibus credatur, nisi teste Deo, significant: aliis autem, quos, uti ait Hieronymus, suspiciosos & incredulos judicant. Profecto nemini minus creditur, quam crebrò iuranti, qui cum prisco poetâ fateri de se cogitur,

Iurare aut falsum dicere, par habui.

Anso. Edyll.

Sanctioris vitæ hominibus, qui non facile unquam iurant, priscum illud convenit:

Is maximè, nunquam qui iurant, creditur.

Trach. vet.

Gregorius Nazianzenus, etiam voto se adstrinxit, nunquam iuraturum: quod laudabili constantiâ ad ipsam usque tumbam servavit. Leontius Antistes qui res gestas Alexandrini Patriarchæ Joannis, quem Eleemosynarium vocat, conscripsit ipso narrationis exordio: Primum, inquit, & præcipuum ejus bonum fuit, quoniam omnimodis non iuravit; quoniam Christus suis præcepit: Sit sermo vester, est, est non, non; quod autem hic abundantius est, à malo est.

Math. c. 5. v. 37.

Comes Ariani Elecarius, non tantum ipse non iuravit, sed nec in ullo suorum famulorum iurandi licentiam vel minimam tulit. In eos qui vel iurassent, vel alteri malè precati fuissent, hæc fuit decreta poena: Diem unum carcere includi, aut prandio cenâve privari, aut coram aliis humi sedentem, pane solo & hydrâ cenare. Si quis restitisset, alium sibi dominum quærere jubebatur. Hac ratione famulos ad Linguam peratentos reddidit. Sed sunt hic quæ obijciantur, inanibus & noxiis his iuramentis, defendendis: ad quæ singula ordine respondemus.

Objectiones pro iuramentorum defensione:

§. I.

Primum est quod iuramentis videatur patrocinari, i. Consuetudo ipsa. Utique, ajunt, tam severe non puniet Deus, hos oris humani errores, sic assuescimus. His Chrysostomus acre acetum propinans: Ne mihi jam ali- quis, inquit, consuetudinem prætextat: propter hoc enim indig- nor & irascor, quoniam consuetudinem (ajunt) vincere non possumus. Et nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à naturâ principium? Concupiscere enim naturale, malè verò concupiscere jam est voluntatis. Iurare nempe nec capit à voluntate principium, sed ex negligentia solâ. Et tu dicas, quod non ex rei difficultate, sed propter

propter neglectum nostrum in tantum hoc peccatum processit. cogitemus quid multo his difficiliora expediant homines, & hoc nullam inde retributionem expectantes. Cogitemus quae diabolus imperavit, quam laboriosa, quam gravia. Nec difficultas fuit eius mandatus impedimentum. Atque hoc variis exemplis firmat Chrysostomus. Funambuli qui Schenobaticam faciunt, & funibus currunt, ea discunt à puero, quae nos incredibilia censemus: fuerunt è priscis oratoribus qui balbutientem aut claudicantem linguam, sed & alia naturae vitia, vigili meditatione correxerunt. Considera, inquit hic orator, quemadmodum gentiliū blasi aliqui quandam syllabarum non bene exprimentes sonum, offendentem saepe linguam longa meditatione limaverint. Postquam enim per scripturas vobis non potest persuaderi, ab externis monere vos cogor. Cogitate gentiliū philosophos, & tunc scietis quanto sumus digni supplicio despicientes divinas leges, cum illi quidem pro humanā honestate infinitè laboraverint, vos verò neque pro celesti regno studium adhibeatis.

Idem tom.
2. in cap. 5.
Matth. hom.
18. fine.
Chrys. tom.
2. in cap. 5.
Matth. hom.
18. fine.

Aug. serm.
28. de verb.
B. Iacobi.

2. Cum
Deus ho-
minem ve-
ret jurare,
cur ipse ju-
ret.

Chrys. tom.
5. hom. ad
baptizandos.

3. Is hoc
vero rerum
status est,
ut nisi quis
juret, ne-
mo credat.
Hom. 2. 6.
ad pop. sine.

Augustinus, idem cum Chrysostomo urget in hunc modum: Sed consuetudo est, solet dici. Solet dici, quando non dico. Hoc est, ante omnia. Quid est, ante omnia? Pre ceteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto, quam ad alia. Major consuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei levis consuetudo.

Alterum, quod hic obijciatur, istud est: Cum Deus homines veteret jurare, cur ipse jurat? Hic discretissimè Augustinus responderet: Cum ergo Dominus juravit, quare Dominus Christus suos jurare prohibuit: Dico, quare &c. Dominus qui prohibuit jurare, supra ripam te noluit ambulare, ne per tuus in angusto labatur, & cadas. Sed Dominus juravit, inquit. Securus jurat qui mentiri nescit. Non te moveat quia Dominus juravit: quis forte non debet jurare nisi Dominus. Tu enim quando iuras, quid facis? Testem Deum adhibes. Tu ipsum, ipse seipsum. Sed homo quia in multis falleris, plerumque adhibes testem veritatem ad tuam falsitatem. Aliquando & nolens homo perjurat, cum verum putat esse quod jurat. Non est quidem tantum peccatum, quantum ejus qui scit esse falsum, & tamen jurat. Quantum melior, & à peccato isto gravi longè sit, qui audit Dominum Christum, & non jurat. Sed etiamnum obijci: Tamen alii quoque viri probi atque intelligentes jurant. Chrysostomus tanquam ejusdem tecum animi, prorsus idem causatur, hoc modo: Sed ille, inquit, jurat homo, qui mitis est, & cui est sacerdotium commendatum, & qui in multā castitate & reverentiā conversatur. Nolo mihi hunc sanctum, hunc mitem, hunc pudicum, hunc proferas sacerdotem: sed si peritum mihi, si Paulum, si de calo angelum narres, nec sic quidem personarum dignitate terreberis. Etenim, si Christum hoc mandasse poteris approbare, aut quia hoc Christus non punit, acquiesco. Sed si cum tantā provisione hoc fieri prohibet, ut jurantem maligno sociaret (nam superfluum, inquit, horum diaboli est) quid mihi alium atque alium commemoras, quid aliquorum nomina facis? Non enim ex servorum negligentia, sed ex suā preceptione, sortem tibi Deus attribuit. Non enim ad conservos nobis, sed ad dominum ratio est. Nam & Magnus ille David peccavit, & grande peccatum. Quid ergo? Ideo nobis sine periculo peccare conceditur? Non. Nam hac de causā cavere debemus, & factā fortia imitari sanctorum. Et si aliquā negligentia legis precepta violata sunt, cum omni festinatione transire nos convenit. Nam licet magnus & admirabilis ille sit, qui hanc legem respuit, penam sine dubio calcata hujus preceptionis exolveret. Non enim est Deus personarum acceptor.

§. II.

Tertio solet obijci: Is hoc vero rerum status est, ut nisi quis juret, nemo credat tam ieiunè affirmantem. Imò, mi homo, nemo credit saepe juranti. Quod quod te veritas, quidquid causeris, Constantinopolitanus orator occurrit. Etiam hic Chrysostomus pro me loquentem sisto, qui & istud prævidens: Hunc, inquit, ex animā morbum pellamus, interim ex foro submoveamus, ex venalibus tabernis, & reliquis officinis, & major erit nobis questus. Ne cogitetis, vos per divinarum legum pravaricationes vita necessa-

ria comparare. At, inquit, non credit. Nam & hoc interdum à nonnullis auditur. Nisi mille juravero sacramenta, non credit. Tu es horum causa qui facile iuras: quoniam si id non faceres, sed omnibus constaret, quod non iures, mihi crede diceret, quod his qui mille devorant juramenta, majorem ipse fidem sola natura invenies.

Quarto obijciat quis: Majorem partem jam emendatam davi consuetudinem jurandi. Nisi totum emendasti, excipit Chrysostomus, nondum quidquam te fecisse putet. Scissura vestis, quantumvis parva, si non quamprimum sarcitur, mox dilatur: ita nullo in virtute profectus capiet, qui diabolo foramen illud non obstruxerit. Divus Ludovicus Rex Galliarum, jurandi consuetudinem extremè perosus, saepius dixisse fertur: Leberis omnino vel candentis ferri ustionem recipiam, modo juramenta regni mei sinibus se possum proferbere. Non minùs avertente est juramenta Marcellus II. Summus Pontifex, qui ubi cap ad id fastigii evectus esset, à purpuratis Patribus rogatus est, litteris illis de more subiceret, in quibus juramentum obligaretur, purpurati senatus numerum, ultra quam præfinitum est, non augendum. Marcellus non tantum esse jurisjurandi necessarium ratus, reculavit quod postulabatur, & Re, inquit, hoc præstiturum sum, verò nolum. Prisci monebant:

Jurare noli, causa justa sit licet.

Quinto solet opponere: Non gravibus, ajunt, juramentis utimur: & res, & juramenta nostra plerumque levia sunt. Ut scias, mi Christiane, hic etiam levissimam quæque admirandi sunt ponderis. Imò hæc ipsa omis & animi levitas, delicti gravitatem auget. Chrysostomus hic iterum percellens aures: Hoc peccatum, inquit, nullo crudele est, nec adeo valde crudele putatur: & hac de causā illud timeo, quia nullus illud pertimescit, sed sicut simplex sermone prolatus, reatum non videtur asserre, &c. Et si quis iniquitatem, risu movet, jocos narrare putatur. Evadit hoc amputare festino, & multi temporis malum radicitus evellere cupio, non tantum perjurii, sed ipsas quoque juraciones. Verbum vetus & verum est:

Jurare causas ob leves, perjurium est.

Zacharias vates auctoritate divinā præmonens: Omnia Zacharias, inquit, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnia jurantia ex hoc similiter judicabitur. Nostri avi theologus cum hoc deo veritatis docet, mendacium etiam levissimum juramento confirmatum delictum esse letale. Gravi namque injuriā Deus afficitur, cum in testem vocatur mendacii. Militis illius vox impia fuit & sub Orcum releganda: Iuro tantum per Deum ligneum. Hoc enim est noxam purgare noxā. Hanc temerariam linguæ perantiam Deus quandoque gravissimè punivit. Isaias propheta clamat: Audite hæc, &c. qui juratis in nomine Domini, & Dei Israël recordamini, non in veritate, neque in justitiā.

Augustinus rem miram commemorans: Aliquid dicam, inquit, quod nunquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesiā. Fuit hic homo quidam simplex, innocens, fidelis, vobis omnibus notissimus: quis enim civium Turullymenum non novit? Ab illo audiri quod dico. Nescio quis negavit illi, quod omni jure reddendum fuisset. Commotus homo audaciā tam improbā exegit juramentum. Juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus perivit. Dicebat ergo Turullymenus, eā ipsa nocte peractum se magno impetu ad tribunal judicis, viri admirabilis, in sublimi residentis, nunquam visi. Hic sese interrogavit: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille: Negavit mihi rem meam. At responsum est. Nonne melius fuisset, ut tu tuam perderes pecuniam, quam illius perimeres animam? Ita humi prostratus credi iussus est. Jam flagellato dictum est: Parcitur innocentiae tuæ, de cetero cave hoc facias. Cæsus est autem tam graviter, ut in evigilantiis dorso vestigia plagarum cernerentur. Subjunge hic Augustinus:

Augustinus: Fecit quidem ille magnum peccatum, & emendatus est. Sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, & istam meam admonitionem & exhortationem tale quid fecerit. Cavete à falsâ juratione, cavete à temerariâ juratione. Ab his duobus malis securissimè cavebitis, si consuetudinem jurandi à vobis abstuleritis.

Beatus abbas Auxentius singulari gratiâ pollebat in restituendâ ægrotis valetudine. Ab hoc Antistite duo viti sedissimâ leprâ deformati stipem poscebant. His Auxentius vultu & verbis ad benevolentiam compositis: Scitote, inquit mei fratres, peccatam iram non aliâ de causâ in vos deservire, quàm quod eam assidue iuramentis & maledictis provocetis. Hæc sunt æquissima Dejudicia: tam noxia oris cluvies, tam tetra vitiliginis squalore punitur. Sed agnoscite vos reos, & definite hæc vitia. Demum oleo sacro perunctis, à se incolumes dimittit. Aded verissimè olim est dictum:

Lingua quidem res pusilla, maximi at parens mali est; Pejerat, jurare causas quisquis audet ob leves.

Hic demum complures interrogant: Quâ igitur ratione, quibus denique modis vulgarissima hæc jurandi consuetudo emendanda est? Quod major medicinæ vis sit, ed remediis utendum probatoribus: diversa, sed non multa damus.

§. III.

Primum ex ore Chrysostomi: Censores monitores, reprehenses in se aut alios constituere. Hæc de re Chrysostomus amplissimè differtens: Quo igitur modo, inquit, quove subsidio, hoc poterimus declinare peccatum? Non enim solum convenit crimen crudele monstrare, sed potius criminis ultione liberari. Est tibi conjux, sunt filii, est amicus, est servulus, est vicinus, est sanguinis cognatione sociatus: festina omnibus hujus legis præcepta narrare. Sed, inquit, dura res consuetudo, & quæ facile mutari non possit, & quæ nos nunquam & invito trahit, & nolentes committere cogit illicita. Igitur tanto re hujus mali reatu liberare festina, quando consuetudinis vim necessitatèque cognoscis, & ad aliam consuetudinem migrare propera. Nam sicut re prava consuetudo possidet, ita poterit melior obtrudere, ut & volentem te iurandi lapsus non permittat evinci. Nam revera multum consuetudo pravalet, & jura didicit immutare natura. Ve igitur non assidue doleamus, ad illam consuetudinem demigremus, & ab omnibus tibi singulisq; conjunctis hoc postula, hoc pete beneficium, ut te jurantem arguant, ut confundant. Nam cum te afficiunt tuâ confusione auctorem, & sibi similia largiuntur. Nam qui alterum, ne juret, arguit: nec facile se precipitare patitur in perjurium.

Alterum: Censores, monitores, reprehenses, etiam non vocatos admittere. Quis est qui pallium inversum induat, & non sustineat vel ab infante, vel à fatuo moneatur? Quandoque etiam olitor est opportuna locutus. Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, Ulyssiponæ catechesis in plateâ publicâ docebatur. Ab his Christianæ doctrinæ rudimentis aded profecit puer, ut cum hominem aduatum procacius jurantem audiret, in genua procubuerit, & summis precibus obsecrarit, non ita juraret; neque enim tam leve, quàm putaretur, esse peccatum. Erubuit ad has preces vir grandævus, & Qui vocaris, inquit, quinam tui sunt parentes? Tacuit puer & abiit. Non tu, ait vir ille, puer es, sed Angelus Dei; emendabo me. Dictis addendum.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, Divisione pædagogus schedam à suo discipulo scriptam reperit, legitque, ignarus peccata in eâ enumerari: inter cetera & hoc perscriptum erat, Pædagogum meum temere jurantem non correxi. Ea res sic hominem attonuit movitque, ut omnem jurandi consuetudinem generosè in se expunxerit. Nimirum etiam ex ore infantium & lactentium laudem suam Deus persicit.

Tertium, Ceterum emendationis tempus sibi præsi-

nire. Istud etiam Chrysostomus suadens: Ve igitur, inquit, hoc crimine liberemur, invicem admoneamur, instum tempus constituamus, & tempus dierum decem. Volentibus enim & vigilantibus, & hi sufficiunt dies, quo penitus hoc crimine consuetudinis liberemur: & post decem dies nihilominus si illaqueati reperiamur, penam nobis constituamus. Si verò post hæc dicas, quod est difficile consuetudinem fallere vehementer quoque studentes: hoc fateor quidem & ego. Veruntamen & illud cum hoc pariter dico quod sicut est facile decipi, sic & facile corrigi. Si namque domi multos ubiq; custodes constituas, puta servum, uxorem, amicos, ab omnibus facilè compulsus atque coactus, à malâ recedes consuetudine. Et si decem tantum diebus id observaveris, non jam amplius reliquo tempore indigebis, sed cum fiducia totum erit tibi repositum pulcherrima consuetudinis firmitate vicissim radicatum. Cum igitur hoc corrigere cæperis, sive semel, sive secundo, sive tertio, sive vicesimo legem transgesseris, ne desperes, sed iterum surge, & studium tuum resume, & omnino victor eris.

Idcirco post decem dies conatu tam laudabili exactos, alii decem dies præfiniendi, post hos iterum alii atque alii destinandi, quibus victoria de jurandi consuetudine reportetur. Neque hic unquam desperandum. Conatus & industria possunt omnia.

Quartum, Assidue divinam in iuramenta vindictam metuere, Deum audientem & punientem omnia, ubique timere. Ad saluberrimum hunc timorem conciliandum, Chrysostomus non ignota suis narrando, sic argumentatur. Civitatis balneæ rex obstruxit, & lavari iussit neminem, & legem transgredi est ausus nemo, aut factum incensare, aut consuetudinem prætere: verum & qui sepe sunt in egritudine, & viri, & mulieres, & pueri, & senes, & multæ partus doloribus recentè absoluta mulieres, & omnes necessarij tale remedium petentes velint nolint mandatum hoc suserunt, & neque morbum corporis, neque consuetudinis tyrannidem, neque alia peccantibus se puniri, nec aliud talium quidquam præterdunt: sed hujusmodi gratè excipiunt ultionem, quia majora expectabant mala, & quotidie precantur hæc regum furorem sistere. Vides, quod ubi est timor, facile solvitur consuetudo, etiam valde diuturna sit & necessaria. Atqui non lavari grave: Non jurare verò, valde facile, & nullum affert nocumentum, non corporibus, non animis, sed etiam multum emolumentum, magnam utilitatem, multam opulentiam. Quomodo igitur non absurdum rege jubente vel difficillima sustinere: Deo verò statuente id quod neque grave sit, neque difficile, verum perquam facile & commodum, contemnere & deridere, & consuetudinem prætere non exhortor; ne in tantum salutem nostram contemnamus, sed timeamus Deum, sicut hominem in neminem.

Quisquis igitur iuramentis assuetus es, si hominem times qui sicam extollit & vulnera minatur, cur Deum non times qui gehennam proponit, & supplicia intendit sempiterna?

Quintum, quod optimum videtur, Sibi ipsi multam, sibi ipsi dicere; certam stipem egenis seponere, gulæ aliquid cibi potiusve subtrahere, pensum statarum precum augere, &c. Easque pœnas à se toties repetere, quoties quidem repetitur culpa. Nam & hoc Chrysostomi consilium est, inquit, discere quomodo vitium hoc superari possit? quomodo ab improba consuetudine liberari liceat? Ego te quendam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cum videris te ipsum, vel alium quemque, vel servorum, vel filiorum, vel uxorem hoc malo captos, & continuè commonefactos, neque correctos, jube non pransos cubare, & hanc tibi, & illis damnationem impone, damnationem non damnum sed lucrum ferentem: Talia enim sunt spiritualia, & lucrum ferunt, & celerem correctionem. Lingua enim continuè tribulata, vel nemine commonecente sufficientem capit admonitionem à siti compressa, à fame angustata, et omnium essum stolidissimi, totâ die hujus tormenti magnitudine commoniti, alterius consilii & admonitionis non indigemus. Nobis itaque ipsi quotidianas ponamus leges. Nobilissimum supplicii genus est à seipso pœnas expetere.

Anno

*Historia So-
cietatis tom.
1. 14. n. 72.*

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, ad tollendum hoc præcept & inutile iurandum, multa toto Catalaunæ principatu instituta sunt fodalitates, sub Augustissimi nominis Jesu tutelâ. In has adscribebantur ea lege sodales, ut certâ sibi irrogatâ multâ, à temerariâ iurandi consuetudine temperarent. Successu optatissimo salutare hoc inventum latè propagatum est. Igitur octo ipsos Catalaunæ episcopatus nominis Jesu fodalitâ mirâ fecunditate in suas leges traxerunt. Resque eò devenit, ut pueri quoque inter se pulchro certamine pœnas repolerent: ac, si cui fortè vetitum verbum per vias publicas excidisset, in eum ceteri facto impetu, non prius dimitterent, quàm pœnæ loco in genua procumbentem figere osculum solo cogerent.

Etiâ in Bavariâ, contra divini nominis abusum fodalitas viget, plurimum laudanda: cuius origo, leges, preces, privilegia Monachii typis excusa Anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto.

Hanc omnem de improbâ iurandi consuetudine differtationem cum Chrysostomo & Augustino finio. Chrysostomus non perjurii tantum, sed iuramentorum inutilium omnium capitalissimus hostis, quæ diximus, in compendium confert hoc modo: Deus dixit, Ne iuraveris. Noli causâs à me amplius requirere. Lex est regia, qui tulit ipsam, & ipsius rationem novit. Nisi fuisset utile, non prohibuisset. Addit sed concione aliâ: Deus iuramenta fugere iussit, & dixit: Non possumus fugere iuramenta. Sextus hic dies est quod de hoc vos præcepto admonéo. &c. Non amplius vobis erit excusatio, neque venia, maxime cum etiam si à nobis dictum fuisset nihil, à vobis ipsis hoc corrigi debuerit. Et ut oculis etiam, non solis auribus hanc ipsam institutionem infingeret, auditores suos obnixè rogavit: Ioannis (Baptiste) caput abscessum adhuc calido cruore desillans sumentes, si sic domum quisque suam redeatis, & pueris ante oculos habere ipsum vocem emittentem & dicentem: Odio habete jugulatorem meum, iuramentum, &c. Hoc ipsum igitur & nunc peto & petere non desistam, ut quocunque abierimus hoc gestantes caput abeamus, & omnibus clamans ostendamus, & iuramenta vituperamus. Quamvis namque valde sinu ignavi & negligentes, capitis illius oculos intui, terribiliter vos respicientis & minantis iurantibus, freno omni vehementius per timorem huiusmodi repressi, cohibere & avertere facile poterimus linguam à iurandi præcipitio. Augustinus his documentis optimum ne acens epilogum: istam, ergo, inquit, quotidianam crebram, sine causâ, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, iurandi consuetudinem averti à vobis, amputare à linguis vestris, circuncidite ab ore vestro. Magno bono abundabitis si tam magno malo carebitis.

CAPVT XXXI.

Quod donum linguarum sit, & quæ omnium
Lingua sanctissima?

Notissimus è porticu philosophus Diogenes, cum prolixum volumen recitans, tandem eò pervenisset, ut libri finem videret. Bene habet, amici, ait, terram video. Nos primam Alphabeti partem deduximus ad finem; & jam terram videmus. De linguæ vitiiis huc usque discussimus; æquor aravimus procellosum, & monstros plurimis infame, nunc portus primus in oculis est. Facilis ei venia conceditur, qui nausæat in mari. Neque nos agrè veniam ei dabimus, qui in mari hoc monstruissimo nausæat. Tot jam dissertationibus nihil nisi mera linguæ vitia, & foedissimam oris proluvem in conspectu posuimus, ut forsân non nemo dixerit: Date mihi pelvim, ad eò bilem movent tot purulentæ linguarum vomica. Ut hoc fastidium levemus, placuit dissertationem instituere non de ullo linguæ vitio, sed de dono. Hac didicisionis varietate interpositâ, ad alteram de

linguæ vitiiis partem progrediemur. Nunc verò prope institutum, quætionem hanc agitabimus: Qualem linguarum donum sit, & quæ demum sanctissima omnium dicenda lingua.

S. I.

Est humanæ mentis cæcitas, ut quæ probanda improbet, quæ improbanda probet, & ea quæ admiratione digna, negligat, quæ negligenda suspiciat, & quædam æqua non æquè admiretur. Cui nostrum non mirum foret spectaculum redeuntis ad vitam è monumento? phænè oculi tuerentur attoniti, sensus omnes vincirentur, homo extra hominem abiret. Et cur neminem deleat huic propinquum admirari miraculum solis, qui quotidie quasi moritur, & quotidie resurgit? Rus mihi abi aucupatum, spicam adfer, & exceptis officulis arctum ejus guttur discludo, præi cum verbis, doce formare vocem, & articulatos sonos fundere luculenter; obsecro quàm non ciebat ad se turbam, quos ad se non convocabit cæcus, qui insuaves illos oris crepitus pronâ capient aure, sui obliti. Perversi mortales, contra oportuit. Quærite in vobis, quod quæritis extra vos. Placent illa aviculæ malè formata verba, & non placent potius vestra, quæ sine falebris & suaviter exore decurrunt? Rectè omnino & sapienter Anacharsis invitatus ad audiendum quandam qui mirificè lusciniæ cantum imitabatur, aspernatus est, &: Veras, inquit, lusciniæ sape audivi. Nos pluris facimus affectatione & imitatione acquisitâ, quàm verâ. Stultè proflus. An fortasse miraculum est, aviculam loqui, & non est hominem loqui? Nihil novi, inquit, hominem loqui; imò potius novum, hominem non loqui. Ne turba, Lector, nève confundere quæ dico. De re novâ nullus mihi sermo, sed de lingua miraculo ac dono, quod in homine non minus est quàm in ave. Nam quod in aviculâ fecit artifex, hoc in homine fecit natura, immane quanto melius. Loquatur paulum lingua de linguâ quæ tumidis inclusa buccis, vocem motibus suis in verba discernit, dum acumen suum palato illidit, adjuncta offensione dentium & compressione labiorum; plus tamen ad loquendum conferunt dentes quàm labia. Nam infantes prius non sanctur quàm dentiant; & edentuli senes nonnunquam ita balbutiunt, ut bimuli puelli. Quid autem mirius quàm sonum è peccatore petimus, in verba certa flectere? Lingua non loquitur, non dentes, non labia, & tamen nihil loquitur nisi dentes, & labia, & lingua. Adverte mentem & vide; vocem emittis quàm lingua volutat, dentes frangunt, labia premunt, ut vult qui loqui vult. Vox hominum in parvo censu est, verba sunt, vocem habet suam & leo, habet canis, habent & alia bestia; verba non habent. Quis verò verba docet, hæc aut illa? Naturam, scio, quosdam dicere imperitè dicunt. Tu Germanicè faris, quo doctore, quâ doctrice? Naturâ? Germana igitur naturalis, & non ceteræ? indignabitur Italus, stomachabitur Gallus, fremet Hispanus. Nugæ & ancilium deliramenta linguam aliquam homini esse naturalem, non esse omnes. Sed est nonnemo qui dicat: include par infantum, remove eos ab hominum cætu, diurnum annos aliquot solitarii, veniet cum annis lingua homini naturalis. Assertionis suæ rationem adducunt. Er en, inquit, Plarometichus, rex Egypti, interstis est Herodotus, avidus cognoscendi, quinam primi homines extitissent, huiusmodi quid machinatur: Pueros duos humilibus parentibus recens natos tradidit pastori inter pecora educandos, simulque vetat vel ullam vocem edi audientibus pueris. Abi pastor, regis iussa facit, pueros includit, voces cavet, & tempore, ut rex iusserat, captas admovet, alendis pugis. Transi ita biennium, & infantes, nec vocem reddunt, nec accipiunt, nisi fortè à barbaris illius suis nutritibus. Tandem pastore casam hanc ingrediente, ambo, pueri, porte cæcis manibus

*Chrys. hom.
16. ad pop.
de seditione.*

*Hom. 8. ad
pop.*

*Hom. 14. ad
pop. post init.*

*Aug. ser. 28.
de verbis
Apost. ad He-
bræos.*